Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3081
Quelle:
Copyright:

imponere ſibi potuerit, aut negotium ſit de alterius *Anaſtaſii* Capite, quorum plures in SS. Catalogis recenſentur.

DCCCLII.

842 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 282. 8. minute exaratus, rubricisque diſtinctus ſacrum Chori Officium vulgo *Breviarium* continet. Praeit *Calendarium* verſibus διαιτητικοις ornatum, in quo ad V. *Id. Mart.* minio *Claues paſche*, ad XVI. *Kal. Maj.* vero *Claues rogacionum* adſcriptum eſt. Eodem colore notatur III. *Kal. Octobr. Wenceſlay martiris*, unde Codex *Bohemiae* accenſeri poteſt. Diſtributus eſt ita, ut praecedat Officium Feriale, ſequantur Feſta Domini per anni decurſum, et Feſta Sanctorum eodem decurſu concludant.

DCCCLIII.

422 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 404. 4. per duas columnas ſcriptus, paſſimque picturis auro et colore variis ornatus *Pſalmodiam* ſacram, ſive *Horas*, quas vocamus, *Canonicas* complectitur, praemiſſo *Calendario*, in quo Officia Duplicia, *Triplicia*, et numerus Lectionum cujusvis Officii notantur. Cum *Stanislai* M. Feſtum VIII. *Id. Maj.* inter *Triplicia* numeretur, alicubi in *Polonia* ſcriptum arbitror, idque vel anno 1407. vel 1418. vel 1429. hiſce enim annis *Reſurrectio Domini* ſive Paſcha in *VI. Kal. Apr.* ſeu 27. *Martii* incidit, cui diei in *Calendario* noſtro adſignatur. Ipſe porro Codex hoc ordine decurrit: Officium Dominicale et Feriale, in quo ſingulis Pſalmis breve argumentum praefixum eſt, Litaniae de OO. SS. Vigiliae Mortuorum, Hymnarium, Antiphonarium et Lectionarium pro totius Anni Dominicis, Idem de Feſtis SS. propriis, deque eorum, ut dici ſolet, Communi.

DCCCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. 424
XV. Folior. 471. 4. per duas columnas exaratus, literisque Initiorum picturatis Horarum Canonicarum Liber eſt, ſive *Breviarium*, quod praemiſſo *Calendario* incipit a Pſalmodia diurna, adnexo Hymnario et officio pro Mortuis, dein ſequenti gaudet titulo miniato: *Incipit Ordo ſiue liber Matutinalis de Eccleſiaſticis obſeruacionibus quid legendum ſit et eciam cantandum per Circulum anni ſecundum Patauienſem Eccleſiam.* Atque ita ducto ab *Adventu* Domini initio Officia Dominicarum, Feriarum, Feſtorum Domini et Sanctorum permixta in orbem decurrunt, adjecto in fine Officio communi de Sanctis. *Fol.* 296. p. 2. ſubſcriptum legas: *Deo gracias. Thomas haidenlaber.* Item *fol.* 459. p. 2. *O lieber got lieber got. M. Secretum meum michi. l M l.* Quod Secretum ſibi bona pace noſtra habeat.